



1. Carporv. i. jas. / Specimen quintum
 de Applicatione Methodi Scienti-
 fice ad theologiam revelatam,
 iene.
2. Carporv. i. joh. Bened. / Diff. de
 jure deridendi Controversias theolo-
 gicas, Lipsie, 1695.
3. Deutschmann i. Abrah. Henr. /
 Diff. de Immortalitate et primis
 glitate Divine Essentia, Witten-
 bergae, 1692.
4. Gesner i. Salom. / Diff. II. de Exce-
 siva triumphante in Coelis,
 Wittenbergae, 1595.

17
JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI

SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROFESSORIS
PUBLICI ET ORDINARII,

PROGRAMMA
DE

CHRISTIANÆ RELIGI-
ONIS PARTIBUS

XXVII. DISPUTATIONIBUS

EX

THEOLOGIA FIDEI

QUARTUM INSTITUENDIS

PRÆMISSUM.



HELMSTADT

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.
Anno cccc v.

10. BARTHOLDI NIEMBIR
SS. THEOL. D. ALSDOMAE PROFESSORIS
PUBLICÆ ET ORDINARII

PROGRAMA
DE

CHRISTIANE RELIGI
ONS PARTIBUS

XVII. DISPUTATIONIBUS

THEOLOGIA PIDEI
OPIKATUM INSTYTUTUM
PERMISSUM.



HERMANNI

TYBIS GREGORI WOLFGANGI HAMMI ACCY TYPOT.
ANNO CLEOP. V.



Σὺν Ιακώβῳ.

SUMMÆ ET SANCTISSIMÆ DISCIPLINARUM
THEOLOGIÆ

IN

ILLUSTRI ACADEMIA JULIA
STUDIOSIS

S. P. D.

JOH. BARTHOLDVS NIEMEIERVS. D.

Nuemadmodum Deus O. M. primos homines non solum ad temporalem hanc vitam, ut ut sic satis beatam ac felicem, condidit, verum etiam quam maximè ad supernaturalem finem, æternam videlicet in cœlis possidendam beatitudinem, eos destinavit, ita etiam ut cum in felicitate quam hæc vita pollicebatur, statu permaneant, tum ex eo ad alteram, eamque æternam perfecte, beatam vitam aliquando, tempore videlicet, quod Deo vistum esset, nullâ interveniente morte, transferrentur, certum aliquid pro diuina sua bonitate ordinavit iisque proposuit medium; quod medium, sive conditio ad sublimem hunc finem obtinendum hominibus divinitus proposta, & ab eo necessariò acceptanda, erat perfecta legis divina cum cordi inscripte, tum peculiariter revelata observatio, sive exacta obedientia, ad quam se teneri probè intelligebant, & secundum quam Deum suum ex toto corde suo, ex tota anima sua, & ex totis viribus suis diligere, & proximum sicut seipso dili-

B.G. Calix-
tus de Pa-
ris §.14.20.

Deuter. V. 5.
Luc. X. 28.

A

gere

gere debebant. Hoc enim mandatum esse mandatum ad vitam, non ignorabant, atque eandem promissionem legi additam fuisse Servator Legis peritum, quid faciendo vitam eternam effe posse fuisse? percontantem edocuit, inquiens: *Factio, & vives: Qui enim homo fecerit ea, quae lex requirit, vivet per ea.* Neque vero solum Protoplasti legem illam spiritualē & secundum omnem suam latitudinem cum obligatione ad illam impletandam probè habebant cognitam, sed & per imaginis divinae gratiam vires legi huic exacte servanda per omnia pares nocti, legem facere h. e. secundum omnia exacte implere valebant. Ex quo vero homo in peccatum lapsus inq. suas perversitas declinans à Deo aversus fuit factus, non faciem, sed cervicem ei obvertens, non solum supernaturales illædotes, quas imago divina complectebatur, sunt amota, sed & malorum & misertiarum, imò ipsius mortis necessitas ita eidem incubuit, ut non solum mortis gratiae, que prima est, prima resurrectioni opposita, verum etiam mortis naturæ, imò & mortis secunda, que est stagnum ignis, stagnum ardens sulphure & igne, reatum incurrit, juxta comminationem divinam: *Quocunque die comedens ex illa arbore, adeoque legem violaveris, morte morieris.* Quia comminatio quicquid mortis est usque ad novissimam, que secunda dicitur, complexa est. Atque ita mors facta est à deo rūs diuersitas, uniusque delictō multi (omnes) morui sunt, & per unam offenditam reatus venit in omnes homines ad condemnationem. Quā in miseria cùm homo sibi consulere, aut viam ex eadem elabendi invenire haud posset, Deus, qui dives est in misericordia, pro multiplici sua charitate, quā nos cùm in peccatis mortui, ejusque intimessemus, dilexit, omnes concludens ētē deus, ut omnium misereretur, & promisso ex fide credentibus daretur. Quod sane pactō quum afflictions plena viderentur omnia, solus Deus cogitavit cogitationes pacis, ut scitē Bernhardus inquit, mittens Filium suum unigenitum in carnem, ut ille esset mediator Dei & hominum, seque ipsum daret ailiūtq; pro omnibus, isque unus pro omnibus moreretur, legi factus obnoxius, ut eos, qui legi cùm ratione debiti eam implendi, cùm ratione maledictionis obnoxii erant, redimeret, & illi adoptionem acciperent. Sic ergo Deus suam erga nos commendat charitatem, quod cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis

nobis mortuus sit, ut iustificati ejus sanguine servemur nunc multò magis per eum ab ira. Nam si cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.

Ex quo igitur lex impotens facta est ad nos servandos, infirmata in carne, in qua non amplius habitat bonum, exacta illa & rigida legis impletio ab hominibus amota, atque Filii Dei, Mediatoris nostri, humeris imposta fuit, qui verè languores nostros peritavit, do- tritus proper intuquitates nostras: castigatio pacis nostra super eum, & livore ejus sanati sumus. Traditus est unigenitus Dei Filius propter peccata nostra, sive peccatorum nostrorum meritò: peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum & vobis ejus sanati sumus; ut ita Christus nos redemerit à legis maledictione factus pro nobis male- dictum, ut in eo benedictio extaret in genibus & promissum illum Spir- tum Sanctum per fidem acciperemus. Nostrum itaque est, in Filium Dei, qui opera Diaboli dissolvit, eumque, qui moris habebat imperium, Diabolum, abolevit, credere, ac per illam fidem merita ac iustitiam Redemptoris nostri ad nos quasi pertrahere. Sic ergò cum ex ope- ribus legis non iustificetur nulla caro, iustitia Dei venit per fidem IESU Christi (in Iesum Christum) in omnes, & super omnes, qui credunt: ac colla- gimus, fide iustificari hominem sine operibus legis. Quicunque igitur in Christum crediderint, illis Deus fidem vult imputare ad iustitiam, & finem fidelis, salutem animarum, ex immensa bonitate porrò dare. Hac enim est illa promissio, quam ipse pollicitus est nobis, vita eterna. Non itaque est in alio quoquam salus: nec aliud nomen est sub caelo, quod da- sum sit inter homines, per quod oporteat nos servari, quam per nomen IESU Christi, in quem qui crediderint, habituri sunt vitam aeternam per nomen ejus. Immota certè & constans Dei Patris est voluntas, ut omnis, qui viderit Filium, à Patre in hunc mundum missum, & cre- dit in eum, habiturus sit vitam eternam. Qui itaque in unigenitum Dei Filium, qui simul Filius hominis est, credit, non est periturus aut condemnandus, sed vitam eternam habiturus: sicuti qui non cre- dit, jam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Dei Fili. Quandoquidem autem vera & salvifica fides aquae minus est abs- que bonis operibus, quam bona arbor est absque bono fructu,

A 3

nostrum

Rom. IX. 3.

Rom. VI.

18.

Esa. LIII.

4-5.

I.Petr. II. 24.

Gal. III. 13.

14.

I.Joh. III. 8.

Hebr. II. 14.

Rom. III. 26.

22. 23.

Rom. IV. 13.

I. Petr. I. 9.

I. Joh. II. 25.

Afor. IV.

12.

Joh. XX. 31.

Joh. VI. 4.

Joh. III. 15.

16. 18.

Jacob. II. 18. nostrum porrò est, fidem nostram bonis operibus aliis ostendere, atque
id agere, ut luceat lux nostra coram hominibus, ut videant bona no-
strae opera, Parremq; nostrum, qui in cælo est, glorificant, utpote qui
in Christo Iesu creati sumus ad bona opera, ut in iis, ceu viâ regni, am-
bulemus: cum sine sanctimonia nemo visurus sit Dominum, quicquid
secundum carnem vixerint, moriantur, qui vero Spiritu actiones cor-
poris mortificaverint, vivant. Quāvis igitur in renatis caro semper
concupiscat adversus Spiritum, ut non, quacunque volunt, eadem faci-
ant, sufficit tamen, si habentes peccatum saltem non faciant peccatum,
neque sinant illud regnare in mortalissimo corpore, ut obedient peccato in cu-
piditatis suis. Sic enim nulla est condemnatio, nulla maledictio
in iis, qui per fidem in Christo Iesu sunt, qui non ambulant secundum
carnem, h. e. datâ operâ non peccant. Quæ enim peccata sunt
infirmitatis & involuntaria ex inadvertentia intellectus ac citra,
imò contra voluntatis consensum atque comprobationem à cre-
dentiis & renatis commissa, ea gratia divinae & meriti Chri-
sti abundantia Deus sinit esse teœta, nec propter illa fideles gra-
tia statu vult exturbare. Ut adeò homini ad æternam salutem
contendenti duo incumbant: in Christum credere, atque insu-
per hoc agere, ut fides per charitatem sit exequitur. Quæ duo æter-
nam salutem consequendi media, licet dispari sint ordinis, eo-
rumque unum sese habeat tanquam medium causans, in specie
ut causa impulsiva, licet minus principialis, alterum vero tantum
ut medium ordinis citra causalitatem, Christiana Religio com-
plectitur, atque alterum eorum Theologia Fidei, alterum vero Moralis
Theologia considerationi sue subjicit. Ad quas Christianæ Religio-
nis partes ipse Sanctissimus Servator homines suâ exhortatione
Marc. I. 15. duxit, volens, ut penitentiam agant, & Evangelio credant, fides au-
Matth. III. 8. tem requirit, ut fructus penitentia dignos ferant. Nec minus Apo-
I. Tim. I. 19. stolus huc respicit, volens, ut qui bonam militiam est militium,
III. 9. non solum fidem retineat, sed & bonam conscientiam conservet, quæ
II. Tim. I. 13. expulsa vonnielli fidei naufragium fecerunt. Etrurius fidei cum cha-
I. Joh. III. 22. ritate, qua est in Christo Iesu, conjungit. Pariter S. Johannes non
solum exigit, ut credamus in nomen Filii Dei, Iesu Christi, verum eti-
am ut diligamus alii alios, sicut Dominus mandavit nobis. Ut adeò bono-
rum

rum operum studium cum bona conscientia fidem sequatur, imò
eandem comitetur. Quæ & Patrum primitiva Ecclesiæ con- Epist. ad
stant fuit sententia. Benè namque Ignatius dixit: *Totum & pre- Smyrnens.*
cipuum est Fides, & Charitas, quibus nihil est prepositum; sive, ut est
in interpolata versione: Totum & præcipuum est Fides in Deum,
& spes in Christum, & fruitio eorum, qua exspectamus, bonorum, Cha- libr. de U-
ritas in Deum & proximum. S. Cyprianus: Credere se in Christum nit. Eccles.
quomodo quis dicit, qui non facit, quod Christus facere præcepit? aut
unde peruenies ad premium fidei, qui fidem non vult servare mandati?
Clemens Alexandrinus: Quando audiverimus in Evangelio ex ore
Christi: Fides tua servavit te; non simpliciter quomodo cuncte creden- Catech. IV.
tes servatum ire, ipsum dicere accipimus, nisi quoque opera fidem fave- Illuminat.
runt secuta, eamque comitentur. Cyrillus Hierosolymitanus:
Religio duobus constat: dogmatum piorum notitiam, & bonis operibus: ita
ut neque dogmata sine operibus Deo grata sint, neque opera, que absque
piis dogmatibus sunt, Deo accepta habeantur. Gregorius Nyssenus:
Fides suam requirit sororem, nempe qua est ex charitate, vita institutio- Orat. de di-
nem. Gregorius Nazianzenus: Super dogmatum fidei fundamento bo- lat. Baptism.
na opera exstremæ, quandoquidem fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera, si fides abſit. Hieronymus, sive, si mavis, Paulinus
Nolanus citatis Christi verbis: Fides sua te servavit; subjicit: Orat. in.
Quò manifeste id ostenditur, nos non solà Dei confessione tanti premii ma- Baptrifm.
gnitudinem, vitam æternam, promoveri sive adipisci, nisi fidei & ju- Epist. ad
sticie opera conjuncta sint. -- Et quomodo ex animo & vere, adeoque Celantiam.
ex fide dicimus: Domine, Domine; si ejus, quem Dominum confite- libr. de
mari, præcepta contemnimus? Augustinus, Hippomensium Præful: Grat. & lib.
Homines non intelligentes, quod ait Apostolus Rom. III. 28. Arbitra- arbitr. cap.
mur justificari hominem, per fidem sine operibus legis; postaverunt, cum VII.
dicere, sufficere homini fidem, etiam si male vivat, & bona opera non
habeat, quid abſit, ut sentire vas electionis. Et rursus: Cum dicis
Apostolus, arbitrari se, justificari hominem per fidem sine operibus le- libr. de Fid.
gis, non hoc agit, ut perceperit & professa fide opera justitia contemnan- & Oper.
tur, sed ut sciat quisque, se per fidem posse justificari, etiam si legis ope- cap. XIV.
ra non præcesserit; sequuntur enim justificatum, non precedunt justifi- tio.
candum. Fides ergo sine operibus nihil prodest. Id quod etiam Epi-

Epistolis Petri, Johannis, Jacobi, Judæ vehementer adstrui ait,
addens: non quamlibet fidem, quæ in Deum creditur, sed eam salutarem
planèque Evangelicam definivit Apostolus, cuius opera ex dilectione procedunt. Dicit enim Gal. V. 6. Fides, qua per dilectionem operatur. Unde Apostolus illam fidem, qua operibus bonis
caret, & sufficere ad salutem quibusdam videtur, nihil prodeesse affir-
mat. Mox iterum ait: Nemo de fide, que sine operibus moria est,
sibi promittat eternam vitam. Et alibi: Pia fides sine spe & charita-
te esse non vult. S. Chrysostomus: Num quid satis est ad vitam e-
ternam consequendam, nudè in Filium credere? Minime. Non
enim omnis, inquit Christus, qui dicit mihi, Domine, Domine, intra-
bit in regnum celorum. -- Nam licet quis Patrem & Filium & Spi-
ritum Sanctum recte crediderit, vitam autem rectam non instituit,
nihil ei prodest fides ad salutem. Theophylactus, Bulgarorum E-
piscope: Christianismus non solum recta dogmata, sed & honestam
vitam requirit. S. quoque Bernhardus, Clarævallensis Abbas:
Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum, fac Christi
opera, ut vivat fides tua. Eadem tuam dilectio animet, probet actio.
Non itaque incurvet terrenum opus, quem fides celestium erigit. Qui
te dicas in Christo manere, debes, sicut ipse ambulavit, & tu ambula-
re. Quid si propriam gloriam queris, florenti invides, absenti detra-
bis, reponis ledenti te, hoc Christus non fecit. Confiteris, te nosse De-
um, factis autem negas? Non recte plane, sed impie lingua Christo,
animam dedisti Diabolo. -- Vide, quod non faciat hominem rectum
fides etiam recta, qua non operatur ex dilectione. Benè proinde A-
pologia Augustana Confessionis verba Apostoli I. Tim. I. 5.
18. 19. respiciens inquit: Paulus cum summam tradit vite Christiana,
(officiorum homini Christiani,) complebitur fidem & dilectionem.
Finis mandati est charitas ex puro corde, & conscientia ho-
mina & fide non simulata. Nec minus B. Lutherus: Totam vitam
Christianam Paulus hoc loco (Gal. V.) pingit: Scilicet esse Fidem erga
Deum intus, & Charitatem erga proximum foris; ut scilicet homo sit
absolutus Christianus intus coram Deo per fidem, qui operibus nostris
non indigeret; foris coram hominibus, quibus fides nihil prodest, sed ope-
ra sive charitas. Ut ut vero haec ita se habeant, Socinianita-
men

Epist. XV.
Epist.
CCXII.
Homil.
XXXI Joh.

P. 103.

417

Litt. 10

Comm.

Epist. ad Ga-

lat. f. 365.a.

men Christianæ Religionis summam aliter constituant, eamque Preceptis & Promissis comprehendunt, ceu in ipsorum Catechesi Racovienti videre est. Postquam enim hæc Christianam Religionem dixerat esse viam divinitus patefactam (à Deo per Je-
 sum Christum monstratam) vitam eternam consequendi, sive, rationem servandi Deo per Christum traditam, addit: Religionem Christianam constare ex PRÆCEPTIS & PROMISSIS, quorum illa vi-
 te sanctimoniam non qualemcumque, sed perfectam, hac verò sum-
 mun atque perfectissimum bonum comprehendant, qua tamen promis-
 sa ab exacta vita sanctimonia honorumque operum exercitio,
 flagitorum autem fuga sint suspensa. Quod pædō & Socini-
 anorum sententiam exponit Jonas Schlichtingius de Artic. fun-
 damental. inquiens: *Hoc solum ad fidem in Christum pertinet, eamq. P. 5.*
constituit, ut tum promissionibus Christi credamus, easq. ab ipso
exspectemus, tum præceptis illius, promissionum istarum spe ac desiderio
inflammatis, pareamus. Et Autor incertus apud Danielem Bre-
 nium brev. Demonstrat. Relig. Christ. ver. num. 3, Partes Reli-
 gionis Christiana sunt PROMISSA & PRÆCEPTA. Quæ ipsius
 Socini doctrinis proslus sunt conformia, utpote qui non solum
 Religionis Christianæ capita Promissis & Præceptis metitur, verum
 etiam contendit, hominem per mandatorum Dei observantiam
 salutem eternam adipisci, ita quidem, ut de iis, quæ ad Christum
 naturam sive essentiam pertinent, vix quicquam sit, quod cognitu vel
 creditu eidem sit necessarium; uti rem Ostorodus Instit. cap. III. p. 24.
 eloquitur. Vid. ipse Socinus Instit. Relig. Christ. breviss. p. 16. Sicuti & ipsa Catechesis Racovientis de Deo nihil aliud cognitu ac credi-
 tu necessarium esse perhibet, quām nosse, quod Deus sit, quid sit
 tantum unus, quod eternus, quod perfectè justus, perfectè sapiens, &
 perfecte bonus. Sed audiamus Socinum ipsum ita scribentem: *Ue* Epist. II. ad
 Duditium
 quis veram amplectatur Christum, non opus est aliare, quām ut PRÆ-
 CEPTA atque PROMISSIONES recte cognita habeat, imò nec PRO-
 MISSA adeo exquisitè peruestigata habere necesse est, modo summano-
 torum vitam eternam esse confer, dummodo PRÆCEPTA recte intel-
 ligantur. Et libri. de Scriptur. Sacr. autoritate cap. II. Isto toe p. 13. 19.
 tamq. diversa sententia nihil impediunt, quod minus de summa qua-
 dare

dam constare possit ejus religionis, que summa sine dubio id sit, in quo
 omnes, qui eam religionem profitantur, videantur convenire: PRÆCE-
 PTA scilicet sanctissima, qua in ipsa datur, PROMISSAQUE ad-
 mirabilia vereq; Deo digna: quibus duabus, tanquam partibus, omnis
 Religio porissimum constat. Quam de summa Religionis sententi-
 am Sociniani vel ideo amplectuntur, ne ad fidei Christianæ
 mysteria, cujusmodi sunt mysterium Sacrosanctæ Trinitatis,
 Divinitas Filii, nec non Divinitas Spiritus Sancti, Incarnatio
 Filii Vei, ejusdemque pro peccatis nostris satisfactio, ac simili-
 lia admittenda adstringantur, ut Spanhemius bene observavit.
 Hinc & Sociniani ex quo, judice Christophorø Ostorodø,
 de iis, que ad Christi naturam seu essentiam pertinent, vix quoquam
 esse, quod cognitu sit necessarium, judicant, ulterius inde deduc-
 cunt, neminem propter suas opiniones, utut alias sanioribus Chri-
 stianorum doctrinis adversas interque se dissentientes, esse rejici-
 endum aut damnandum, modò vitam præceptis divini confor-
 mem agat. Quod & Socinus profitetur, inquiens: *Natum*
michi est dubium, quin omnes illi, sive Calviniani, sive Lutherani, si-
ve Anabaptiste, sive Arianzi, qui ad prescriptum se gesserint, (quo-
rum non paucos in singulis sectis fore confidit,) celestis vita ha-
reditatem sint habitudi. Socinianis pollicem premunt Arminia-
 ni sive Remonstrantes, qui cognitionem Dei, & illius cultum Re-
 ligionis Christianæ partes, non quidem coordinatus, sed subor-
 dinatas esse volunt, utut utraque haec pars sold *Cognitionis Dei*
 nomine aliquando veniat eodemque continetur. Verum
 enim vero ut de eo non dicamus, Socinianorum sententiam
 falso supponere, quod PER præceptorum Dei obseruantiam
 vitam æternam consequamur, cum tamen non per opera, sed
 per fidem demum justificemur & salvenur, ut ex Rom. III. 20,
 22. 28. Gal. II. 16. Ephes. II. 18. Tit. III. 7. constat; id etiam
 observandum, si haec Socinianorum sententia, quā Religionem
 Christianam in PRÆCEPTA & PROMISSA resolvunt, locum
 inveniret, fore, ut Religio Christiana præ Religione naturali,
 prout illa etiam inter gentiles culta fuit, nihil habitura sit pec-
 culiare ac præcipuum, quin immo religionem naturalem suffici-
 entem

Elench.

Controv.

p. 152.

Instit. cap.

III. p. 24.

Epist. III. ad

Dudith.

p. 42.

Conf.

Smalzius

contr.

Franz.

p. 302.

Phil. à Lim-

borch The-

ol. Christ.

libr. II. cap.

I. §. I. 2.

entem fore ad salutis aeternae viam nobis commonstrandam ;
quod utrumque tamen ~~si~~ ^{per} ~~per~~ ^{per} ~~per~~ ^{per} ~~per~~ ^{per} est, nulla ratione ad-
mittendum. Siquidem naturali Religioni non solum *præcepta* ho-
nestatis sunt proposita, quibus gentiles , ii præsertim, qui culti-
ores & moratores fuerunt, suaque officia in morum honestate ac
virtutum studio quaesiverunt, vitam suam conformem reddide-
runt, imo ea, que legi naturæ sunt, fecerunt, sed & ipsa illa Religio Rom. II. 14.
naturalis *promissiōnibus* cùm hanc, tūm alteram aeternamq; vitam
respicientibus est munita. Et quidem *præcepta* honestatis quod
attinet, certum est, gentilium Sapientes virtutis atque honestatis
studium fecisse maximi , eos etiam obligationem naturalem ad
honestas actiones exercendas, vitiorumque ~~per~~ ^{per} ~~per~~ ^{per} ~~per~~ ^{per} fugiendas
probè habuisse perspectam , existimantes , se virtutum , & qui-
dem precipiè justitiae, studiò atque exercitiō Deo simillimos, at-
que adeò ~~pro~~ ^{pro} ~~pro~~ ^{pro} ~~pro~~ ^{pro} evasuros. Atque id quidem Pythagoræorum
schola testari possunt , ex quarum placitis atque doctrinis illud
Jamblichus fluxit : Ην δεν σεβαμεδα κατα τρέπον ειδη ιην υπη τραγ-
ουνάσσεν πάσιν κακιας, ωντες πιόν καλιόν καθαρόν. Deum quoq; co-
lamus, & veneremur congruè, si mentem nostram ab omni scelere, quan-
squalore, puram velimus efficere. Neque insuper habenda gravis
admonitio Platonis : Conandum est, ut hinc illuc (à mortali & in-
feriore regione ad superiori & Deos ipsos) quam celerrimè fu-
giamus: fuga autem est, ut Deosimiles pro viribus efficiamus. Deo autem
similes efficit justitia & sanctitas cum prudentia conjuncta. Rursus : Ca-
vendum est, ne quid in Deum aut verbō, aut opere aliquando peccemus.
Neque verò homines rectæ rationis ductui unicè inharentes
& supernaturalis revelationis gratiā destituti omnem honestatis
rationem intra externarum actionum angustias coegerunt, sed
& actionum internarum, utpote quæ externarum principia sunt,
rectitudinem , atque adeò inferiorum animæ facultatum cum
superioribus ~~υπερ~~ ^{υπερ} ~~υπερ~~ ^{υπερ} ~~υπερ~~ ^{υπερ} requisiverunt. Præclare namque De-
mocritus apud Stobæum : Bonum est, non modo injuriam non facere,
sed ne velle quidem. Nec minus Cicero : In ipsa dubitatione facinus in-
est, etiam si ad id non pervenerint. Et rursus : Vir bonus non modo facere,
sed ne cogitare quidem quicquam andebit , quod non audet *predicare*.

in These.
toto.

in Minœ.

Serm. IX.
libr. III. de
Offic.
cap. IXX.
cap. XIII.

6

lib. III. de
Finib. cap.
IX.

Iterum: *Ut peccatum est, patriam prodere, parentes violare, fana depo-
pulari, que sunt in effectu; sic timere, sic mærere, sic in libidine esse pec-
catum est, etiam sine effectu.* Sapientiores igitur inter gentiles
tanti ac tām solliciti praeceptorum honestatis fuere custodes, ut
& ipsum animum ab inordinatis cupiditatibus vacuum esse vo-
luerint! Qui tamen ad hujusmodi praeceptorum virtutis obser-
vantiam non extrinsecā tantūm corum honestate se permoveri
sunt passi, sed & immotam soverunt spem, homines vita morum-
que integratit operam impendentes commodam rerum afflu-
entiam, omnemque vita prosperitatem esse consecuturos. Plato
sanè ab Aenobio hōc nomine laudatus egregiè dixit: *Virtus invio-
labilis & libera. Quam prout honorabit quis, aut neglet, ita plus ans
minus ex ea possidebit.* Eligentis quidem culpa omnis est, Deus autem extra
culpam. Camillus, uti est apud Livium, præfente Senatu dixit:
*Intuemini horum deinceps annorum vel secundas res, vel adversas: inve-
niatis, omnia profferre evenisse sequentibus Deos, adversas spernitibus.* Et
Augustinus id agit, ut ostendat, *Deum in augendo Romanorum im-
perio compositos eorum ad virtuem mores respxisse.* Quòd etiam Nabu-
chodonosoris exemplum pertinet, cui Deus, quod divinam vo-
luntatem adversus Sor executus fuerit, præmium, quamvis tem-
porale, retribuit. Ezech. XXIX. 18. 19. 20. Unde Hieronymus:
*Ex eo, quid Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus,
etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judiciorū pre-
teriti.* Conf. Matth. V. 6. ubi dicitur, etiam hypocritas mercedem
suum in hac vita recipere. Rursus Hieronymus: *Romani primi Rem-
publicam constituerunt auxeruntq. virtutibus. -- Deus enim sic ostendit
in opulentissimo & praelato imperio Romanorum, quantum valerent civi-
ties, etiam sine vera religione, virutes, ut intelligeretur, hāc (religione)
additū fieri homines alterius civitatis, cuius Rex veritas, cuius lex caritas,*
cuius modus eternitas. Benè etiam Autor Operis imperfecti in Mat-
thaeum: *Si infidelis fecerit opus bonum, hic ei prodest opus ipsius, & hic
ereditat Deus bona pro opere suo.* Utur vero hujusmodi promissiones,
quibus gentiles tot tāmque diversis exemplis excitati animum
non parum demulcebant, hanc potissimum vitam respexerint,
*in illo autem seculo nihil opus bonum ipsis proficiens nisi forte reliquis
infū-*

lib. X. de
Republ.
lib. II. adv.
gent.

libr. V.
cap. LI.
libr. V. de
B.D. cap.
XII.

in Ezech. I.c.

Epist. V. ad
Marcelli-
num.

Homil. XVI
Conf. Ves-
sii Histor.
Psalms. libr.
III part. III
Th. X. p. 376.
sqq.

infidelibus, qui nihil boni sunt operati, levius judicium post
hanc vitam sint experturi,) neque collocentur inter ceteros fideles
propter opus suum, & iustit: quia naturali bono moti fecerunt bonum, non
propter Deum; quotquot tamen eorum rationalis anima immor-
talitatem admiserunt, absque omni spe melioris vita & premi-
orum in eadem post hanc vitam sibi conferendorum non fuerunt;
sicut nec malis ac sceleratis poenas post hanc vitam defuturas
esse, fuerunt persuasi. Hinc Sisyphum, & Tantulum, & Caucasi
filias, quas Erynnias vocaverunt, & una cum his Tiresium in tartarum
detritos esse, atque illic penas dare gentiles tradidisse, Epiphanius com-
memorat. Socrates autem, uti est apud Platонem, non alibi pa-
ram sapientiam sperandam esse dixit, quam post hanc vitam. Con-
stanter enim & revera revolvens centrum credit, atq; ex mortuis viventes
sunt, mortuorumq; animas ita superesse, ut bonis quidem melius se
malis verò pejus. Et rursus apud Platонem dixit: Impossible arbit-
ror, homines in hac vita prater admodum paucos felicitatem & beatitu-
dinem assequi. Bona tamen spes est, ut post mortem quis ea omnia con-
sequatur, quorum desiderio accensus optimè pro viribus egit vitam atque
exegit. Quam sententiam quoque se rūm ex aliis majoribus, tum
ex iis, qui magnam Greciam instituit & praecepit suis erudierunt, rūm
in primis è Socrate, quem non rūm hoc, tum illud, ut in plerisque, sed
idem dixisse semper, animos videlicet hominum esse divinos, itaq; cum ex
corpe extiseant, redditum ad celos patere, optimoq; & iustissimo cuique
patere, se hassej, Lælius apud Ciceronem profitetur. Cui sen-
tentia ipse quoque Tullius accedit, docens: mortem securioris &
melioris initium vita afferre, eamq; vitam, qua morte hanc consecuta
vita est, beatam atq; à misericordiis omnibus vacuam fore. Quod ipsum
quoque Seneca probat, Polybium, fratri morte fractum,
ita erigens: Ne itaq; invideris fratri tuo: quiescit tandem liber, tandem
eius, tandem aeternus est. Frustratur nunc liberò & aperiò celo, ex bu-
niali atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solu-
tas vinculis animas beato recipit sum: & nunc libere vagatur omniaq;
verum natura bona cum summa voluptate perspicit. Rursus ad
Marciam, filii mortem lugentem, scribit: Imago dumtaxat filii
uis perire, as effigies non similissima: ipse quidem aeternus, meliorisq; nunc

Autor:
Quest. ad

Antiochū,

Aut. Oper-

imperf. iii

Math. Ho-

mil. LXVI.

in Ancorat.

in Phœdr.

de Amicis

cap. IV.

de Confo-

lat.

Confol. ad

Polyb.

ab II. Adip.

ib. in V

IX. quod

V. null

Confol. ad

Marciam.

ib. quod

8

status est, despoliatur oneribus alienis & sibi est relictus. --- Nititur illo, unde dimissus est: ibi illum aeterna requies manet, è confusis crassis pura & liquida videntem. Cato certe, uti est apud Ciceronem, morti proximus hanc ob causam in magnam latitudinem resolutus fuit, inter alia inquiens: *O preclarum illum diem, cum in illud animorum concilium cœcumq; animorum proficisci, & cum ex hoc turba & colluvione discedam!* Sanè Tertullianus, ut Christianorum de vita aeterna doctrinam gentilibus tanto efficacius persuadeat, propriam ipsorum de campis Elysii doctrinam in memoriam ipsis revocat, inquiens: *Et si Paradisum nominemus locum divine amoenitatis, recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, materia quādam ignea illius Zona à notitia orbis communis segregatum, Elysi campi fidem occuparunt.* Sicuti & Augustinus Philosophorum meminit, qui non propter temporalem hanc vitam, sed propter illam, quo post mortem futura est, Deos colendos esse sint arbitriati. Sic ergo gentilium Sapientes, quibus anima rationalis post hominis mortem ὑπερέστη perspecta fuit, de præmiis ob virtutis studium non solum in hac vita, sed & vel maximè in altera vita sibi conferendis non desperarunt! Quod si ergo Religio Christiana tantum precepta, vitae integritatem & honestatem commendantia, & promissa, partim hujus vita bona, partim præmia in futura ac cœlesti vita offerentia completeretur, omnino non solum naturalis religio, quam Gentiles non prorsus se posuerunt, ad æternam salutem foret sufficiens, verum etiam eadem religione Patrum Veteris Testamenti multis modis, juxta Socini hypotheses, foret perfectior. Siquidem juxta Socinum nihil unquam promisit Moses, preter hujus vite bona, eamq; felicitatem, qua ex iis potissimum, qua extra nos sunt, in hac vita contingere potest. Cui accedit Johannes Volkellus, contendens, præmissionem vitae sempiternae in prisco illo fædere factam minime fuisse, imo Moses de industria dñaque operâ antiqui illius fæderis præmissa enumerantem nullam vite sempiterna mentionem facere. Et rursus: Moses certe non nisi ea populo fridaico pollicebatur, qua terrenorum bonorum affluentia, mobilitas, & fluxus & felicitate continebantur. Quibus consentientia H. Grotius habet, dicens: *Mosen in Religionis Iuda-*

Dial. cap.
uit.
Habent
IVX. dia
Apologet.
cap. ult.

libr. VI. de
C. D. cap. I.
Vid. Psan.
ner. Theol.
gentil. cap.
XXI. §. 19.

libr. advers.
Semi Ju-
daiz. p. 51

libr. III. de
Ver. Rel.
cap. XI.
libr. V.
cap. V.
libr. II. de
Ver. Rel.
Christ. p. 91

*Judaico institutione, sedis et legi pacta respiciamus, nihil promissum satis
pra hujus vita bona, terram uberem, penum copiosam, victoriam de hostibus,
longam & valentem senectam, posteros cum bona spe superstites.* Quæ libr. de Vir
ipſa licet falsa sint, uti post alios B. D. Joachimus Hildebrandus
ostendit, cum sub involucro & umbra terrestrium beneficiorum
coelestia quoque bona sint occultata, & padum Evangelicum per
paclum Mosaicum non excludatur, ad hoc tamen sufficiunt, ut
Socinianis ostendatur, ex suis hypothefibus, praesertim ex hac,
quæ perhibent, Religionis Christianæ summam ad *Precepta* &
Promissa effere revocandam, hoc absurdum sequi: non solum gentili-
lum religionem naturalem perfectiorem suisse religione Patrum
in Veteri Testamento, verum etiam Christianam religionem
præ naturali gentilium religione nihil habere præcipui, neque
cædem esse præstantiem & perfectiorem. Quæ ipſa cum
ex se sint absurdâ ac nullâ ratione admittenda, non aliud con-
ditionis potest esse Socinianorum hypothesis, unde hujusmodi
ætota ratiōnē dimanārunt. Atque sic facile apparebit, ultra
Precepta, nec non ultra *Promissa* opus esse mediob quodam super-
naturali, quod muniti ad salutem æternam enitamur. Hocverò
ipsum ex parte hominis unicum est, nempe Fides in Christum,
gratiam Dei ac meritâ Sanctissimi Servatoris apprehendens si-
biique applicans. Non itaque sufficit, unitatem, æternitatem, ju-
stitiam, sapientiam, potentiamq; Dei agnoscere, sed requiritur in-
super, ut fide immotâ credamus Patrem, & Filium, & Spiritum
Sanctum (tres illas realiter distinctas personas,) esse unum illum
verum Deum, & Filium Dei unigenitum in plenitudine tempo-
ris *hominem* esse *factum*, adeoque non solum hominem, sed
& verum, sumnum, inque secula benedictum Deum esse, qui
in assumta carne humana legem pro nobis, adeoque non solum
commodo nostro, sed & loco nostro impleverit, peccata nos
prementia in se suscepereit eaque luerit, atque passione ac morte
iudicâ infiniti pretii pro nobis satisficerit, quin imò sedatâ hœc pa-
tio irâ divinâ aditum ad vitâ æternâ gaudia paraverit, atque
sic salutis æternæ spem, per peccatum amisam, nobis recupe-
rare.

1480

Rom. III.
26. 2. 8. IX.
30. Gal. II.
26. III. 2.
Joh. XVII. 3.
Rom. X. 9.
20.

Auctor XVI.
31.
L. Cor. I. 21.

Marc. XVI.
16.
Joh. III. 18.
I. Thess. II.
10.
II. Thess. 1. 8.

I. Joh. V. 11.
Phil. III. 8.

p. 25.

raverit. Quia sanè Fides non ex præceptis legis, sed ex Evangelio & promissionibus de gratuita peccatorum remissione ac salute per Christum parta hauritur. Hinc & ipse Servator dixit: *Hec est vita eterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* Nec minus Apostolus: *Si confitearis ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum (Jesum) ex morenus suscitaverit, salvus eris.* Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Sicuti & Paulus ac Silas & Philippenses sciscitanti, quid à se fieri oporteret, ut salutem æternam consequatur, respondent: *Crede in Dominum, Jesum, & salvus eris tu, & dominus tua.* Pariter & Apostolus testatur, placuisse Deo salvos facere credentes. Quemadmodum vero Deus salutis æternæ consecutionem ab hominum fide suspendit, ac promisit, quicunque crediderit, eum salvum fore; ita à salutis æternæ participatione eos vult remotos, atque adeò æternæ damnationi involutos, quicunque salvificā hāc fide fuerint destituti; ita, ut firma maneat regula: *Quicunque non crediderit, condemnabitur.* Item: *Qui non credit in Filium, jam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei.* Sanè homines pereunt propterea, quod amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. — Ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed sibi placuerunt iri iustitia. Et Dominus Jesus infliger ultiōrem iis, qui Deum negūti. neque auscultant Evangelio Domini nostri Jesu Christi. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in se ipso.* Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Estque procul dubio illa eminentia notitia Iesu Christi, propter quam omnibus aliis dignitatibus se ipsum multatavit Paulus & spoliavit, eaque habuit ut onus, ut Christum lucrifacere. Quae sanè res adeò manifesta est, ut ipsorum quoq; Socinianorum oculos perstrinxerit. Praterquam enim quod Symbolum Apostolicum ut summam religionis Christianæ amplectantur, illudq; profidae Christianæ tessera habeant, ut vel saltē ex Jonas Schlichtingii Vindiciis Christianæ confessionis appareat, quod tamen magis Credenda atque ad salutarem notitiam spectantia, quam vel præcepta, vel promissa complectitur; licet Sociniani Symbolum illud non in omnibus eo sensu accipiant, quod fieri alias debebat, & quod ab Ec-

Ecclesia Catholica illud sicut intellectum, vel ipsa quoque Catechesis Racoviensis coacta est fateri, viam Religionis Christiana esse p. 24. (22.) cognitionem Dei & Christi; id quod etiam verbis Servatoris Joh. XVII. 3. probat. Quin & Socinus ipse in variis Tractatibus ad Religionem Christianam pertinentibus satetur: *Ad plenam & solidam Christianae religionis cognitionem plurimum conferre, si recte intelligatur, quid de Jesus Christi natura seu essentia sentendum sit; plus vero si probe cognoscatur, quid statendum de ejus officio: quandoquidem in eo Christi cognitione potissimum consistit, sine qua vitam eternam consequi non possumus.* Sic ergo vel ipsi Sociniani agnoscere coguntur, Christianam religionem potissimum Fide in Christum nit. In eo tamē iterum falluntur, quod fidem justificantem non per modum relationis in ordine ad objecta sua considerent, sed eandem potius ut actum aliquem lege injunctum spectent. Ita namque ipse Socinus: *Fides, ob quam justificamur, id est, à peccatorum nostrorum reatu absolvimur, nihil aliud est, quam sub fine consequenda vita aeterna Christi mandatis obtemperare.* Et hoc intelligi existimamus, quando- cunque salus in sacrifici literis iis promittitur, qui credunt, Jesum esse Christum. Quin imò addit: *Fides obedientiam preceptorum Dei, non qui- dem ut effectum suum, sed ut suam substantiam & formam continet atque complecitur.* Quibus gemina apud Socini socios paullum occurunt. Quia & ipsa Catechesis Racoviensis Fidem non so- lūm fiduciam in Deum & Christum esse dicit, sed eandem ait esse obedientiam tam iis, qua Deus in Lege per Moysen praecepit, & per Christum abrogata non sunt, tam iis omnibus, qua Christus legi ad-didit, præstandam. Et statim addit, obedientiam sub Fide compre-hendi. Verum enim verò hōc paulò Sociniani non solum Fidem & pietatis opera monstrōse in unam quasi massam com-pingunt, verum etiam quæ fructus fidei sunt, ipsius Fidei for-mam & essentiam faciunt; sive id, quod Fide est posterius, eam-que consequitur, eādem naturā prius esse volunt. Sanè, quam-vis Fides ab hominibus ad aeternam salutem contendentibus exigitur, ea tamen in doctrina de justificatione hominis peccato-ris coram Deo non spectatur sub ratione sanctitatis ad voluntatem pertinentis atque in aversione à malo & conversione ad

de Offic.
Christ.

th. 41. 42.

Nott. ad
Dial. de
Justific.

p. 14.

p. 246. 247.
(p. 289. 290.)

52

bonum consistentis, sed potius secundum modum relationis ad
objecta sua, gratiam videlicet Dei & meritum Christi, ad noti-
tiā & assentum salutarem in intellectu per Spiritū Sancti gra-
tiam ita accendendum, ut intellectus rebus istis, ad quarum noti-
tiā sibi relictus luminis naturae ductu penetrare, atque adeo se-
cundum vires naturales iisdem assentiri non poterat, firmum
praebeat assensum, nec de iis dubitet, quin potius de iis tam certi-
tus sit, quam qui est certissimus, voluntas etiam Spiritū Sancti
per verbum operantis intellectumque illuminantis gratiae lo-
cum relinquens nec eidem obicem ponens cum intellectui as-
sensum imperet, tum ipsa in svavi fiducia ex assensu specialissi-
mo orta acquiescat. Quod ipsum in Scriptura Sacra est credere
contra fīmē: in captivitatem redigere omnem cogitationem ad obedientium
Christo: firmā fide apprehendere res sferatas & non apparentes. Quod
factō denum bona opera tanquam fructus fidei, & fructus Spiritus
Sancti fidem sequuntur. Ex quibus omnibus patet, à Socinianis
non solum eam Fidei rationem non haberi, quam habere oportebat,
sed & Praecepta ac Promissa Religionis Christianæ summam
non absolvere, sed potius quæ ad hominis Christiani officia, ipsi
ad salutis aeterna consecutionem necessaria, adeoque ea, quæ ad
Religionem Christianam pertinent, multò rectius ad Credenda
& Agendā revocari, quorum illa *Theologia Fidei* suæ considerationi
subjicit, hæc vero *Theologia Moralis* ad peritiam firmandam &
acuendam expendit. Sicuti vero *Fides* debet bonos fructus parere,
A.C. Art. VI
Apol. A.C.
p. 86. Solid.
Declar.
I. C. p. 70.
atque ita bona opera facere oportet, ita quidem, ut à fide dilectionem Dei
& proximi avellere sit impossibile, imò æquè impossibile sit bona opera à
vera fide separare, quam calor urens & lux ab igne separari non potest,
ita etiam peritiam fidei cum peritia de moribus vivendi Chri-
stianò homine dignis, adeoque de officiis homini fidem professio
incumbentibus non inutiliter conjungimus, idque agimus, ut
utraque pars ad scientiam dextrè excolatur. Non igitur de-
sistimus ea, quæ ad fidei peritiam pertinent, Auditoribus nostris
sedulò inculcare, sive Scripturæ Sacrae expositionem respiciant,
sive ad sacrorum dogmatum demonstrationem & confirmationem,
sive ad eorundem contrā adversarios & cœlestis veritatis
ho-

hostes suscipiendam defensionem sint comparata, sicuti nec negligimus ea, quae ad Christianorum hominum officia ita spectant, ut *et nos*, *Sicut et vos*, *et concordias in hoc seculo vivant, expectantes beatam illam spem & illustrem adventum glorie magni illius Dei ac Servatoris nostri Jesu Christi*, ex facie literis hausta Auditoribus nostris sedulo inculcare. Quæ ipsa postquam demonstrata sunt, ut animis nostrorum tanto tenacius inhærent, non solum repetitio-nes & examina instituto nostro debent inservire, sed & Disputationes cùm privatim, tūm publicè instituta huc conducunt quām plurimum, & quod unā cādemque vice præstari non potest, alternis vicibus à nobis agi solet. Quod itaque non sine multiplici fructu succēsſile experientiā edocē sumus, denuo scipere non supersedebimus, sed quartā vice *Theologiam Dogmatum Fidei* XXVII. publicis Disputationibus hāc astante sumus repetituri, ac singula ejus capita eruditorum disquisitioni ita submissuri, ut singulis hebdomadibus si non binas, unam tamen minimum Disputationem sumus habituri. Quod nostrum institutum adjuvabunt tres egregie eruditionis ac virtutis cum modestia ac sincera pietate conjunctæ laude conspicui, iisque nominibus nobis carissimi Juvenes:

TOBIAS DIETERICUS Münchmeyer / Hoyâ Lünæburgicus,

DAVID Schaffr / Liinâ Lünæburgicus,

CHRISTIANUS LUDOVICUS Schäffer / Wolfsen-büttelensis,

qui sicuti cùm in hac illustri JULIA, tum in aliis celeberrimis Academiis per aliquot annos singulari industria egregiam & Philosophia & Theologiae peritiam sibi acquisiverunt, eandemque variis indiciis nobis probarunt, ita & postquam munera Opponentium ac Respondentium inter se diviserunt, eandem Vobis, Studiosi optimi, in Theologorum Auditorio ex cathedra luculentiter sunt ostensuri. Quorum laudabilibus conatibus non solum favere, sed & eosdem imitari, vestri erit officii. Dabitis hoc Commilitonibus hisce vestris, ut attentâ auscultatione & fre-

Tit. II. 12. 13.

quentia vestra iis ad majora molienda calcar addatis, præfer-
tim cum ex hujesmodi exercitationum genere optimus fructus
ad Vos quoque sit dimanaturus. Experiens quippe dudum
comprobatum est, hujusmodi exercitiorum, si recte instituantur,
generi magnam ad erudiendos discentium animos vim inesse.
Nam & de verò doctrinæ orthodoxæ sensu interrogandi dabitur
occasio, & copia fiet adversariorum argutias in medium prolatas
detegebendi, quæ obsura sunt, illustrandi, quæ ambigua, evolvendi,
nec minus ansa dabitur monströsas veritatis adversariorum con-
nexiones retexendi, fucos etiam, quibus Sophistæ malas suas
causas pingere solent, detergendi. Quæ singula quantum ad
veritatis inquisitionem afferant momenti, consideranti obse-
runt esse non potest; imò fructus ad audientes quoque pertin-
get, qui si vel dicti Scripturæ Sacré genuinam interpretationem,
dubii solutionem, solidam distinctionem, aut eruditam ad objectio-
nes propositas datam responsionem domū secum asportaverint,
tempus sanè non inutiliter collocabunt. Quod ipsum etiam
Aristoteli fuit observatum, qui pridem monuit, è omnino enten-
dum esse, ut ex Dialectica exercitatione aut solutionem, aut propositionem,
aut objectionem referamus, aut notemus, recte quispiam interrogari, it
an non recte, sive ipse, sive alius, & quæ ratione urrum, acciderit. Quan-
tò igitur plus ad Vos, Studiosi optimi, ex his exercitationibus
redundaturum est emolumenti, eò frequentiores, & quí-
dem sedula cum attentione Vos singulis nostris exercitationibus
interfuturos confidimus, imò uthoc sponte vestra facere velitis,
à nobis etiam atque etiam rogamini. Primam Disputationem
proximè fœtū Mercurii die in Julei Majoris Auditorio Theologo-
rum sumus habituri, reliquias verò ex consueto loco ordine indi-
cabimus. Deus O. M. studiis vestris felices largiatur succcessus, &
gratiam Spiritus Sancti opulerter in vobis sinat habitare! Valete,

ac res vestras porrò præclarè gerite. P.P. in illustri Academia

JULIA d. XV. Maji Annō salutis
reparatae clo Icc V.



00 4 6466

ULB Halle

002 937 239

3



5b.

VO 17 Fe. 74.
Rhein



JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI
SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROFESSORIS
PUBLICI ET ORDINARII,
PROGRAMMA
DE
**CHRISTIANÆ RELIGI-
ONIS PARTIBUS**
XXVII. DISPUTATIONIBUS
EX
THEOLOGIA FIDEI
QUARTUM INSTITUENDIS
PRÆMISSUM.



HELMSTADT

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.
Anno cœloccv.